

Sotus ait, indulgentiarum prædicatores exaggerationis causa illam gradationem invenisse.

Quidam plenam ad solam pœnam peccatis mortalibus debitam referunt : pleniore, aiunt, remitti adhuc pœnas venialibus decretas : plenissima vero etiam culpas veniales indulgeri.

Probabilius videtur Bonifacius Papa, qui in extrav. *Antiquorum*, de pœnit. et remiss. primus vocibus illis usus est, indulgentiam plenam retulisse ad remissionem totius pœnitentiæ injunctæ a sacerdote : plenior, ad remissionem pœnæ totius secundum canones injungendæ; plenissimam, ad remissionem omnis pœnæ, quæ a divino judicio exigi posset.

3º. Inter plenarias indulgentias eminet Jubilæum, hebraice *ioubal*, quod ipsis significabat annum quinquagesimum remissionis, in quo agrorum cultura quiescebat, et venditæ possessiones prioribus dominis restituebantur, ut legimus Levit. 25. et 27. et Num. ult. Unde Isaia 61. v. 2. et c. 63. v. 4. translata est illa vox ad significandum tempus evangelicæ Legis, quod per annum Jubilæi Hebræorum significabatur. Idem vocabulum nobis exprimit annum secularem, quo maximæ indulgentiæ Romæ conceduntur : qui quidem initio fuit annus centesimus, quando a Bonif. VIII. anno 1300. magnum illud Jubilæum primo Romæ celebrabatur. Postea anno 1350. a Clem. VI. revocatum fuit ad annum quinquagesimum. Denique a Xysto IV. anno 1425. ad vigesimum quintum annum est arctatum.

Quamquam autem amplissima hæc Jubilæi remissio non differat ab indulgentiis plenariis quoad effectum primarium remissionis omnium pœnarum, tres tamen præcipuas prærogativas habet. Nam primo motivi certitudine vulgares omnes indulgentias superat : secundo ratione solemnitatis et consensus totius christiani populi : tertio propter privilegia plurima ; videlicet quod possit quilibet per quemvis confessarium ab Ordinario approbatum ad excipiendum confessiones absolvi a casibus reservatis, et in plerisque votis dispensationem obtinere.

In lucrando autem Jubilæo quatuor potissimum observanda sunt, nempe executio operum injunctorum, eorum commutatio, absolutio a reservatis, et tempus, quo beneficium istud est acquirendum, quorum omnium explicatio Theologis moralibus incumbit.

271. *Obj. I.* Si quis indulgentias, queis Pontifex dimidium pœnarum remittit, bis lucratus fuerit ; vel totus pœnæ reatus tunc donabitur, vel tantum dimidium partis dimidiæ, quæ superfuerat a prima acquisitione indulgentiarum. Si primum, ergo falsum dixit Pontifex, tantum dimidiæ pœnæ remissionem datum iri : si secundum, ibitur in infinitum ; cum dimidium residui semper in duas partes dimidias dividatur, quarum altera novis ejusmodi acquisitionibus indulgentiarum expungi possit.

R. N. 1<sup>m</sup>. *seq.* Quod residuum est pœnarum non æstimaretur tunc ut totum, sed ut dimidium totius quod extabat, cum indulgentiæ primum acquirebantur.

272. *Obj. II.* Non est credibile, aliquem 48000. annorum in purgatorio fore ; ergo gratis ad tot annos sæpe conceduntur indulgentiæ.

R. N. *Cons.* Formulæ concessionum tantum indicant, tolli pœnas purgatorii, quæ tollerentur per pœnas ecclesiasticas tot annorum, statutas a SS. Canonibus, et temperandas pro fervore pœnitentium.

## CAPUT VII.

## DE PŒNITENTIA PUBLICA.

## ARTICULUS I.

## RITUS ET INSTITUTIO PŒNITENTIÆ PUBLICÆ.

273. *Nota I.* Christiani olim in duos ordines discescebantur, in catechumenos et fideles. Catechumenorum quidam erant audientes, qui conciones quidem auscultabant, baptismum autem nondum petierant ; alii e contra catechumeni, qui baptismum jam expetierant, dicebantur electi et competentes.

Fideles dividebantur in tres classes, quarum primam constituebat Clerus, ad quem omnes Ecclesiastici pertinebant : secundam Laici, qui communi nomine fideles nuncupabantur : tertiam Pœnitentes, qui etsi fideles essent, tamen ob crimina a cæteris fidelibus segregati, et quasi in sententiam Ecclesiæ rejecti peculiari nomine censebantur. Nomine autem Pœnitentium soli illi intelliguntur, quibus pœnitentia publica, eaque solemniter imperabatur. Nec enim omnis pœnitentia olim publica erat, sed dabatur etiam pœnitentia privata et occulta, quando peccatum clam commissum soli sacerdoti detegebatur, et satisfactio ita privatim et occulte peragenda injungebatur, ut ex ea crimen aliis innotescere non potuerit ; ut constat ex epist. 80. (al. 168.) S. Leonis ad Episcopos Campaniæ.

*Nota II.* Pœnitentia, quam Gratianus c. *Nihil prodest*, de Pœnit. d. 3. et Magister in 4. dist. 14. solemnem ; S. AUGUSTINUS epist. 54. (al. 153. ad Macedonium) humillimam, S. AMBROSIIUS et Patres alii simpliciter publicam nominant, pluribus ex capitibus differt a pœnitentia publica non solemniter. Nam 1º. pœnitentia solemniter ob aliqua tantum crimina publica et enormia indicebatur, nempe ob idololatriam, homicidium et fornicationem ; quibus S. Gregorius Neocæsariensis in epistola canonica adjungit furtum in cives, barbarorum incursione afflictos et fugitivos, admissum. 2º. Pœnitentia solemniter semel tantum in vita concedebatur. Quod si quis deinceps iterum in ejusmodi crimina relaberetur, licebat ei quidem conventui Ecclesiæ et sacrificiis adesse, non autem communicare de corpore Christi, nisi in mortis articulo ; ut refert Syricius Papa epist. 1. c. 5. (Lab. t. 2. p. 4019. B.). 3º. Pœnitentia solemniter non injungebatur Clericis majoribus, neque conjugato cuiquam, nisi ex consensu conjugis alterius, et raro juvenibus aut mulieribus. 4º. Solemniter pœnitentia imperari a solo

Episcopo poterat; cum e contra pœnitentia publica non solemnis ob plura alia crimina publica, ac sæpius etiam fidelibus quibuslibet, non ab Episcopo duntaxat, sed etiam a Presbyteris dictaretur.

*Nota III.* Pœnitentia solemnis tres, septem, decem ac plures interdum annos durabat. Ejus initium dabatur feria IV. ante Dominicam I. Quadragesimæ, quando pœnitentes pulla veste et cilicio induti, tonso capite, exceptis feminis, et cinere aspersi, in Ecclesiam inducebantur. Hinc superest etiamnum ritus, fideles initio jejunii verni cineribus aspergendi. Inductis in Ecclesiam pœnitentibus Episcopus cum Clero manus postquam imposuit, eosdem denuo ex Ecclesia ejiciebat: ubi diversas stationes occupabant, prout in pœnitentiæ temporibus processerant. Harum prima dicebatur *πρόκλαυσις*, statio *flentium*, qui extra fores Ecclesiæ sub dio, aut saltem in vestibulo preces fidelium cum fletibus postulabant. Secunda appellabatur *ἀκρόασις*, *auditio*, quando intra portam in porticu cum catechumenis verbum Dei ipsis audire, non autem precibus fidelium interesse licebat. Tertia nuncupabatur *ὑπόπτωσις*, *substratio*, quando humistrati et genuflexi hærebant, humili ac demisso habitu, variisque pœnis et carnis macerationibus exercebantur. Severissima fuit hæc statio, unde apud veteres absolute *pœnitentia* vocabatur. Isti cum competentibus ad concionem et preces Ecclesiæ intra templi ambitum usque ad ambonem, id est, ad locum, ex quo Epistola et Evangelium legi solebat, admittebantur, non vero ad sacrificii celebrationem. Quarta *ὄστασις* seu *consistentia* erat, cum in Ecclesia ad sacrificium etiam consistere, non vero ad communionem altaris percipiendam admitterentur, ex qua causa etiam statio ista appellabatur *minor excommunicatio*.

Hiscæ quatuor vulgaris stationibus pœnitentium quintam nonnulli adjiciunt, quæ *μέστωσις* seu *complementum* vocatur, eratque illorum, qui jam expleta pœnitentia exspectabant feria V. in cœna Domini reconciliari: hoc enim solum tempus reconciliationis erat.

*Nota IV.* Præter ea, quæ hactenus memoravimus, pœnas plures subibant. Nam 1<sup>o</sup>. ante expletam pœnitentiam nulli licebat participare sacra mysteria prioribus Ecclesiæ temporibus. Morituris tamen postea sacram communionem concessit synodus Nicæna I. can. 13. (Labb. t. 2. p. 35. B.) et Ecclesia Romana singulis annis feria V. hebdomadæ majoris pœnitentes reconciliavit, eisque sacram communionem tunc solum indulsit, ut testatur INNOCENTIUS I. cap. 7. epist. ad Decentium Episc. Eugubinum (Labb. t. 2. p. 1247. D.) 2<sup>o</sup>. Nunquam poterant promoveri ad Clerum, etiam expleta pœnitentia. 3<sup>o</sup>. Non concedebantur pœnitentibus nuptiæ, nisi quandoque juvenibus. 4<sup>o</sup>. Non licebat eis adire militiam, neque convivia aut balnea. 5<sup>o</sup>. Dum starent in ordine pœnitentium, non poterant esse susceptores in baptismo aut confirmatione. 6<sup>o</sup>. Privabantur unctione infirmorum. 7<sup>o</sup>. Debebant sepelire mortuos. 8<sup>o</sup>. Diebus dominicis et tempore paschali flexis genibus orabant, dum fideles cæteri stantes peccarentur. Diebus autem jejuniorum in Ecclesia comparebant, et in genua provolutis sacerdotes manus imponebant, et preces pro ipsis fundebant.

274. *Dico.* Institutio pœnitentiæ publicæ et solemnis non est a Christo et Apostolis, sed est disciplinæ tantum ecclesiasticæ.

*Prob. I.* Toto primo seculo, et seculo secundo quoad majorem partem quibuslibet peccatoribus pœnitentibus quorumcumque criminum etiam extra articulum mortis dabatur absolutio: ut constat ex historia illius incesti, quem B. Paulus ob commercium cum noverca 1. Cor. 5. excommunicavit, postea tamen resipiscentem absolvit, et fidelibus cæteris impense commendavit, 2. Cor. 2. Joannes item Apostolus adolescentem ad latrocinia et homicidia degenerantem, per silvas conquisivit cum lacrymis, et reductum brevi fidelium communioni restituit, ut narrat EUSEBIUS Hist. Eccles. L. 3. c. 23. S. IRENEUS L. 3. c. 4. aperte ait, Cardonem non semel apostasiæ suæ veniam consecutum fuisse. TERTULLIANUS L. de præscriptionibus c. 30. testatur, Marcionem secundo ad pœnitentiam fuisse admissum, eique, modo, quos corruerat, secum reduceret, communionem et pacem promissam; sed, antequam id exsequeretur, morte præventum fuisse.

Post medium secundi seculi cum gravibus et publicis peccatoribus severius agere cepit Ecclesia, et tribus criminibus, si manifesta essent, omnem veniam negare extra mortis articulum; donec non multo post, circa initium tertii seculi hunc disciplinæ rigorem Romæ temperavit S. Zephyrinus Pontifex, et veniam fornicatoribus, postquam convenienti pœnitentia perfuncti essent, indulsit: homicidis et idololâtris sine spe veniæ, ut antea, relictis. Indulgentiam istam sancto Pontifici exprobrat Tertullianus L. de pudicitia c. 1., sed injuria: nam sub medium seculi tertii eadem moderatione idololatræ et homicidæ excepti fuerunt, ut constat ex epistola 58. CYPRIANI (alias 52. ad Antonianum). Cum autem pœnitentiæ hujus publicæ vigor statim cœpisset defervescere, restituta est post persecutionem Diocletiani et Maximiani a Conciliis Ancyrano, Nicæno et aliis.

*Prob. II.* Si hæc pœnitentia publica fuisset instituta a Christo, et ab Apostolis promulgata, quilibet Christiani, atque etiam de quovis peccato gravi deberent eam obire, neque Ecclesiæ liceret hac in re quidquam mutare: atqui ad eam non tenebantur olim clerici, mulieres, conjugati, neque juvenes; et de paucis tantum, eisque publicis criminibus talis pœnitentia dictabatur; ejusque ritus sæpe fuit ab Ecclesia immutatus; imo tota hæc solemnitas sensim sublata. Et quamvis Concilium Trident. Sess. 24. c. 8. de Reformatione, pœnitentiam publicam publice et cum scandalo Ecclesiæ peccantibus injungendam decernat; addit tamen, *ab Episcopo hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum posse commutari, quando ita magis judicaverit.*

## ARTICULUS II.

### PRO QUIBUS PECCATIS PŒNITENTIA PUBLICA DICTABATUR?

275. *Dico.* Pro solis peccatis publicis; eisque gravissimis et scandalosis olim præcipiebatur pœnitentia publica. Est contra Novatores quosdam.

*Prob. I.* ORIGENES hom. 15. in Levit. (opp. t. 2. p. 262. C.) ob graviora quidem crimina semel, aut raro pœnitentiam concedi: de communibus autem culpis, quibus domum nostram spiritualem dæmoni venundamus, et quæ frequenter incurrimus, quotidianam pœnitentiam agendam non interdici. GREGORIUS Nyssenus, qui sub medium seculi IV. floruit, in epistola canonica ad Letoium, can. 4. et 5. (opp. t. 1. p. 949. 950.) ait, homi-

cidis et prædonibus, qui illis similes æstimantur, statutam a Patribus esse pœnitentiam publicam; nullam autem iræ aut avaritiæ criminibus, imo ne furto quidem ipsi, neque etiam usuræ, ut testatur BASILIUS M. epistola canonica 1. can. 14. (opp. t. 3. p. 275. D.) neque raptoribus virginum et viduarum, quando nullus concubitus præcessit: et epist. canonica 2., can. 34. (opp. t. 3. p. 293. B.) prohibitum, ait, fuisse a Patribus, publicare adulteras confessas, aut quomodocumque convictas, ne mortis periculum adirent, sed eas jussas a sacra communione abstinere usque ad expletum tempus pœnitentiæ. S. LEO M. epist. 92. ad Rusticum c. 17. (al. epist. 167. inquisit. 19.) scribit, qui convivio solo et escis immolatis gentilium usi sunt, posse jejuniis et manus impositione purgari: idololatrias autem, homicidas, et fornicatores non oportere admitti ad communionem, nisi per pœnitentiam publicam. S. ELIGIUS Noviomensis Episcopus, qui seculo VII. floruit, homilia 11. 13. et 15. (Patrol. t. 87.) quas in cœna Domini habuit, fideles etiam in mortalia lapsos, clare distinguit in eos, qui sine pœnitentia publica prius acta, et eos qui non nisi post pœnitentiam publicam absolutam in Paschate communicaturi erant.

*Prob. II.* Juxta AUGUSTINUM epist. 108. ad Seleucianam (al. epist. 263.), hi tantum ad pœnitentiam, quam proprie publicam appellat, cogebantur, qui merebantur separari a corpore Christi per excommunicationem canonicam: atqui ex eodem Augustino non propter mortalia quælibet, sed tantum propter graviora a corpore Christi sic separari merebantur; ergo teste eodem tantum propter graviora crimina ad pœnitentiam publicam addicebantur.

*Prob. III.* Ex occultis criminibus etiam gravissimis homicidii et adulterii nemo olim obligabatur ad pœnitentiam publicam. S. AUGUSTINUS de homicida sibi privatim noto, sub finem serm. 16. de verb. Dom. (al. serm. 83. c. 8. n. 11.) *Prorsus*, inquit, *nec prodo, nec negligo, corripio in secreto.* Et paulo inferius eadem habet de adultero sibi clam detecto; uti etiam cap. 12. homil. ult. ex 50. (al. serm. 331.) Concilium autem Rhemense II. an. 813. can. 31. (Labb. t. 7. p. 1257. C.) discrimen habere cupit inter eos, qui publice, et qui clam pœnitere debent.

*Prob. IV.* Ecclesia semel tantum concessit pœnitentiam publicam, ut ex Origene et Patribus cæteris novimus. Quis autem credat, Ecclesiam voluisse omnia mortalia subjecta esse illi pœnitentiæ, quæ semel tantum in vita peragi potest, cum Christus pœnitentiæ sacramentum iterabile pro baptizatis instituerit?

*Prob. V.* Qui pœnitentiam publicam obierant, nunquam poterant promoveri ad sacros Ordines: cæteris dum duraret pœnitentia, non licebat adire militiam, nec inire matrimonium, aut inito uti; si ergo propter quælibet peccata lethalia subeunda erat publica pœnitentia, quantæ turbæ exortæ fuissent in Ecclesia, dum paucissimis Christianorum ad clerum et militiam adlegi, aut conjugio et procreandis liberis operam dare licuisset?

*Prob. VI.* Denique cogebantur ad publicam confessionem, qui ad pœnitentiam publicam damnabantur: atqui nemo occultos peccatores ad talem confessionem cogebat, nec consciis criminum licebat illa publicare, ut de mulieribus adulteris tradit BASILIUS M.; neque licuisse unquam ea crimina

propalari a Presbyteris, quibus privatim confessio facta est, probat inviolabile sacramenti sigillum; ergo.

276. *Obj. I.* Ideo Patres de pœnitentia publica agentes, tria tantum illorum peccatorum, idololatriæ, homicidii et fornicationis meminerunt, quia ad illa, tanquam capitalia, cætera omnia reduci possunt; ergo inde nequit probari, quod de peccatis cæteris non fuerit agenda pœnitentia publica.

*R. N. Ant.* Quod et pueris absurdum apparet, quibus ex catechismo constat, non tria, sed septem esse peccata capitalia: quomodo enim ebrietatem aut furtum ad illa tria peccata revocabis?

*Inst. 1.* S. BASILIUS epist. cit. can. 52. fures, et can. 63. sepulcrorum effossos, aliosque peccatores pœnitentiæ publicæ submittit; ergo non sola illa tria crimina pœnitentiæ publicæ erant obnoxia.

*R. D. M. S.* BASILIUS illos etiam peccatores pœnitentiæ publicæ submittit, ex traditione Patrum *N.* suamet auctoritate et ex statutis recentioribus *C.* Can. 30. *De his*, inquit, *qui rapiunt* (nempe mulieres) *canonem quidem antiquum non habemus*, etc. Alii Patres diserte eximunt fures, et eos qui idololatra in conviviis gentilium vescuntur. Concilium Laodicense seculo IV. can. 7. (Labb. t. 1. p. 1498. B.) hæreticos sola chrismatis unctione ad communionem recipiendos pronuntiat; modo errores detestati fuerint ac publice revocarint. Et Neocæsariense an. 314. can. 4. (ibid. p. 1484. B. E.) *Si quis*, inquit, *mulierem concupiscens, proposuerit cum ea concumbere, et cogitatio ejus non perveniat ad effectum; apparet quod gratia Dei liberatus est*, nempe a pœnis canonicis, adeoque pœnitentia publica fornicariis et adulteris præcepta. Ex quo constat, nullam pœnitentiam publicam peccatis etiam gravissimis sola cogitatione admissis fuisse statutam.

*Inst. 2.* TERTULLIAN. L. de Pœnitentia meminit solius pœnitentiæ publicæ; ergo pro peccatis quibuscumque tunc agebatur tantum pœnitentia publica.

*R. N. Cons.* Ab initio libri usque ad cap. 7. agit de pœnitentia generatim, quæ post Baptismum lapsis est necessaria. Hanc vero cap. 5. unicam, ait, esse oportere, non quidem ex desperatione indulgentiæ, si quis baptizatus sæpius peccaverit, sed amore innocentæ ac rigore disciplinæ, quia optandum esset, ut in recuperata justitia perseveraret. A cap. 7. autem usque ad finem tractat de pœnitentia publica, cui tamen non omnia peccata subjicit, meminit enim solius pœnitentiæ, quæ cum Baptismo conferri potest: nam 1º. ait, esse unam, sicut unus est Baptismus. 2º. Sicut a gravissimis criminibus idololatriæ per Baptismum gentiles expiantur et Deo reconciliantur: ita fideles per pœnitentiam publicam ab homicidio et fornicatione. 3º. Sicut catechumenis per Baptismum, ita fidelibus per pœnitentiam publicam omnis pœna et culpa a Deo remittitur.

*Inst. 3.* Ibidem cap. 10. damnat verecundiam, quæ peccatores abstinerebat, quominus peccata sua confiterentur; ergo agit de peccatis occultis, nam peccata publica fateri non prohibet pudor.

*R. N. Cons. et ejus probationem.* Magna pars Ecclesiæ peccata publica pœnitentium ignorabat: igitur ingenti animo opus erat, coram his et aliis omnibus in ea, qua dixi, abjectione et squalore peccata palam omnibus facere.

*Inst. 4.* S. CYPRIANUS epist. 4. ad clerum, ait, minora delicta expianda fuisse pœnitentia publica.

R. Fornicationem et adulterium vocat delicta minora intuitu idololatriæ. Libro autem de Lapsis triplicis generis lapsos affert, primo eos, qui palam idolis thus obtulerunt: secundo libellaticos, qui quidem palam fidem non negaverant, qui pretio libellos impunitatis a magistratibus obtinuerant, quo pacto licet et vitæ et idololatriæ exterioris periculum redemissent, seque a satellitum furore et audacia essent tuiti, nominis tamen christiani professionem confusione quadam abnegaverant: tertio illos, qui libellos tales emere cogitaverant. Solos vero illos, qui idolis sacrificaverant, pœnitentiam publicam subire debuisse, constat ex loco citato, ubi cæteros ad confessionem et pœnitentiam privatam hortatur. Et epist. 58. ad Antonianum aperte testatur, libellaticos facti pœnitentes sine morâ ad communionem receptos fuisse.

277. *Obj. II.* Patres hortantur ad pœnitentiam publicam, imo jubent eam injungi ob crimina, quæ non nisi occulte solent committi, et quorum aliquis se sponte accusat: ut S. GREGORIUS Neocæsarensis epist. canonic. can. 8. (Lab. t. 1. p. 842. A.), BASILIUS M. can. 61. epist. canon. 2. (opp. t. 3. p. 327. A.) S. GREGORIUS Nyss. can. 3. epistol. jam citata, Conc. Ancyr. can. 20. Ergo propter occulta etiam crimina debebat obiri pœnitentia publica.

R. *D. Cons.* Si manserint occulta, et soli Episcopo vel Presbytero fuerit ea confessus N. Si evaserint nota vel delatione, vel publica peccatoris confessione C. Crimen publicum evadere potest, 1º. notorietate juris, quando constat, sententia judicis, vel confessione rei in iudicio, vel legitima depositione testium: 2º. notorietate facti, quando commissum est in præsentia multorum, vel in loco publico, vel eo tempore, quo potuit multis innotescere, vel passim versatur ob oculos majori parti viciniæ: 3º. denique redditur famosum, quando ejus fama ex sufficientibus indicis orta pervenit ad majorem partem communitatis. Quamdiu nullo generis ejus modo crimen evadit publicum, dicitur manere occultum. Igitur ORIGENES homil. 2. in Ps. 37. (opp. t. 2. p. 688.) et alii Patres commendant et probant confessionem publicam occultorum criminum, et publicam pœnitentiam, quam quis sponte confessus palam subit, ad eamque instantur hortantur: id quod olim in usu fuisse, non negamus. Quod si quis palam suum crimen, alias occultum, sponte confessus fuisset, hunc ad pœnitentiam publicam damnabant canones citati, quamvis ad longe mitiorem, quam si aliis modis illud notorium evasisset. Verum hoc nihil contra thesin nostram evincit: nam quando quis omnino libere ex pietate et pœnitentiæ studio occultum crimen plurimæ parti Ecclesiæ manifestat, pœnitentiam publicam postea injunctam ob crimen notorium subibit.

*Inst. 1.* S. AUGUSTINUS et alii Patres aiunt, duplicis generis peccata dari, alia quidem gravia, mortalia, capitalia; alia vero leviora, venialia et quotidiana: illa quidem expianda esse, inquit, pœnitentia publica, hæc vero precibus quotidianis; ergo.

R. *Explic. testim. Patrum.* Illa esse expianda, aiunt, pœnitentia publica, si fuerint scandalosa, et commoverint universam Ecclesiam, ut loquitur Concilium Carthag. III. can. 32. (Lab. t. 2. p. 1171. E.) C. si fuerint occulta, aut non ita scandalosa N. Seculo VI. S. Cæsarius Arelatensis

homil. 1. (Bibl. maxima PP. t. 27. p. 324.) et seculo XI. Fulbertus Carnotensis serm. 2. ad populum (Bibl. magna PP. t. 3. p. 501. C.) distincte addunt, *diutina iracundia, ebrietas assidua*: brevis ergo iracundia et ebrietas raro admissa non plectebantur pœnitentia publica, cum nemo neget ea esse peccata mortalia. Hinc Cæsarius subjungit: *Quia justum est, ut, qui multorum destructione se perdidit, cum multorum ædificatione se redimat.*

*Inst. 2.* Juxta disciplinam Patrum antiquorum omnia peccata mortalia merentur pœnam excommunicationis, seu privationis S. Eucharistiæ: atqui hæc privatio erat præcipua pars pœnitentiæ publicæ; ergo mortalia omnia subjiciebantur pœnitentiæ publicæ.

R. *D. M.* Hoc est, nulli licebat accedere ad sacram communionem, antequam peccatum mortale, in quod inciderat, pœnitentia expiaverit, et confessione sacramentali, prout etiam præscribit Concilium Trid. Sess. 13. c. 7. C. quasi omnia peccata mortalia, secundum Patres, meruerint excommunicationem canonicam N. Excommunicationem canonicam et pœnitentiam publicam, ut præfati sumus, sola peccata canonica vulgata subibant: quod si eadem peccata vel nullo teste committebantur, vel solo complice conscio, pœnitentiæ publicæ non erant obnoxia secundum Canones, sed ex consilio duntaxat Presbyteri, et ex consensu pœnitentis, qui etiam negatione absolutionis sacramentalis compelli ad publicam pœnitentiam quandoque solebat, non vero aperta et publica ab altari remotione. Quam ob rem S. August. supra laudatus, serm. 351. (al. 50. ex 50. hom.) Nos, inquit n. 10. *a communione prohibere quemquam non possumus... nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive seculari, sive ecclesiastico judicio nominatum atque convictum.* Quod si idem S. Doctor homil. 49. inter 50. (al. 49. ex 50. hom.) adhortans adulteros, *agite*, inquit, *pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia...* Nemo sibi dicat, *occulte ago, apud Deum ago*: non intelligit pœnitentiam solemnem et publicam, sed generatim illa, quæ virtute clavium peragitur, monetque illos, ne sacerdotum ministerio prætermissa, coram Deo tantum pœnitentiam agant; mox enim addit: *Ergo sine causa dictum est: Quæ solveritis in terra, etc.*

Solet etiam hic tractari quæstio de personis pœnitentiæ publicæ olim obnoxiiis. Ubi potissima altercatio est de clericis majoribus, quos multi asserunt subjectos publicæ pœnitentiæ fuisse tribus seculis prioribus, secuti Joannem Morinum, qui id L. 4. c. 12. pluribus adstruit. Verum alii melius hoc negant cum Albaspinæo Observat. 6. et 7. in Optatum. Sane hic Sanctus L. 2. de schismate Donatistarum, n. 25. graviter invehitur in Donatistas, quod lapsos episcopos et presbyteros pœnitentiæ publicæ subjiciant, quod quidem persecutionis tempore, ait, *a nullo factum est post thurificationem.* Sed et Synodus Ancyrana anno 314. can. 1. et 2. (Lab. t. 1. p. 1435. C. D.) presbyteris et diaconis, qui idolis sacrificaverunt, pœnitentia ductis, honoris quidem nomen servat, verum absque ulla functione et exercitio Ordinis. PETRUS Alexandrinus can. 10. (Lab. t. p. 962. D.) clericis lapsis communionem concedit. S. LEO epist. 2. alias 92. et 167. ad Rusticum, ait, *alienum esse a consuetudine ecclesiastica*, ut presbyteri aut diaconi pœnitentiam publicam obeant. S. AUGUSTINUS L. 1. de Bapt. contra Donat. c. 1. testatur, clericis ad Ecclesiam, a qua defecerant, reversis, *manus inter laicos non imponi*, scilicet ad pœnitentiam publicam. Et Conc. Carthaginense V. ætate Au-

gustini celebratum idem can. 11. decidit (Labb. t. 2. p. 1217. C.), *ut lapsis sacerdotibus manus, sicut laicis, non imponantur.* Et habetur c. *Confirmandum est*, dist. 50.

Per pœnitentiam vero publicam intelligitur tantum luctuosa illa ac solemnitas, quæ in tertio pœnitentiæ gradu, qui *substratio* dicebatur, peragi solebat, in quo pœnitentes cinerè conspersi, induti sacco ac plane lugubri habitu, variis laboribus et carnis afflictionibus, et frequenti manus impositioni Episcoporum et Cleri totius subiciebantur; a quo dedecore ac verecundia clericos majores Ecclesia semper exemit. Privatam tamen secessionem ac pœnitentiam lapsis clericis injunctam fuisse, ait S. Leo in epistola laudata. Quo modo explicatur, qui objici solet, Canon 76. Conc. Eliberitani, aliaque testimonia, quæ Morinus adducit.

## CAPUT VIII.

### DE MINISTRO SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

#### ARTICULUS I.

##### QUÆNAM POTESTAS IN MINISTRO HUIUS SACRAMENTI REQUIRATUR?

278. *Dico I.* Ut quis sit verus sacramenti hujus minister, simpliciter in eo requiritur potestas ordinis, seu ut sit Sacerdos. Ita Catholici omnes contra Waldenses, Wicleffistas, Lutheranos et Novatores cæteros.

*Prob. I.* Ex Scriptura. Verba Christi Joan. 20. v. 23. *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt,* solis sacerdotibus dicta fuisse constat ex perenni traditione et usu Ecclesiæ orientalis et occidentalis. Concilium FLORENTINUM in decreto Eugenii §. *Quartum*, inquit: *Minister hujus sacramenti est sacerdos.* Idem statuit Conc. Tridentinum Sess. 14. cap. 6. et can. 10. *Si quis dixerit, inquit, non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum: Quorum remisistis peccata... quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata; anathema sit.*

*Prob. II.* Testimoniis Patrum. ORIGENES homil. 2. in Levit. (opp. t. 2. p. 191. C.) *Est adhuc, inquit, septima peccatorum remissio... cum peccator non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum.* S. CYPRIANUS L. de lapsis: n. 29. *Confiteantur, inquit, singuli delictum suum dum remissio facta per sacerdotes apud Deum grata est, etc.*

BASILIIUS M. in Regul. brevior. ad interrogationem 288. (opp. t. 2. p. 516. D.) respondet: *Necessario iis peccata aperire debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.* Non autem cuilibet, sed Apostolis et ipsorum successoribus sacerdotibus hanc dispensationem creditam esse monet B. Paulus 1. Cor. 4. v. 1. et c. 12. v. 28. et seqq.

S. Joan. CHRYSOSTOMUS L. 3. de Sacerdotio, cap. 5. (opp. t. 4. p. 383. B.) extollit potestatem sacerdotibus a Deo concessam absolventi a peccatis; quæ sit major omnium terrenorum Principum potestate, *quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit, etc.* ut fusius retulimus supra c. 1. a. 1. ad Inst. 1. Obj. 3.

INNOCENTIUS I. epist. 1. ad Decentium (Labb. t. 4. p. 1247. L.) *De pondere, inquit, æstimando delictorum, sacerdotis est judicare.*

S. AUGUSTINUS epist. 228. (al. 180. ad Honoratum, n. 8.) deterret sacerdotes, ne deserant oves in periculo, quia magnum exitium sequitur eos, qui *de hoc seculo vel non regenerati exeunt, vel ligati.*

S. LEO epist. 83. (al. 108. ad Theodorum): *Sic divine, inquit, bonitatis præsidis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri.*

S. CÆSARIUS homil. 41. peccatorem ad non differendam pœnitentiam hortatus: *Nescit, inquit, si possit pœnitentiam accipere, et confiteri Deo et sacerdoti.* Plura Patrum testimonia dedimus cit. cap. 1. huj. disp. art. 1. et 2.

279. *Dico II.* Ut quis sacramentum pœnitentiæ administrare possit, opus ei adhuc est jurisdictione.

*Prob.* Concilium TRIDENTINUM dicta Sess. 14. cap. 7. ait: Nullius momenti esse absolutionem, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Ac rationem hanc reddit: Pœnitentiæ sacramentum est iudicium: atqui ad iudicium requiritur necessario in iudicante iudicatio, et subjectio in eo, qui iudicatur: neutrum autem habetur a sola potestate ordinis; alioqui sacerdotes quilibet essent sibi mutuo pastores et subditi; ergo.

280. *Obj. I. cont. 1<sup>am</sup>, concl.* Jacobi 5. v. 16. dicitur: *Confitemini alterutrum peccata vestra;* ergo cuilibet fieri confessio potest.

*R. Explic. Ant.* Confitemini alterutrum peccata vestra generatim C. specialim *subdist.* singuli singulis quibusque N. reus iudici, laicus sacerdoti C. Sic veteres intellexisse ostendunt testimonia sæpius allata. Quæ quidem testimonia etiam sufficiunt ad dandam rationem discriminis, cur non æque omnes Christianos concernat dictum Christi: *Quorum remisistis peccata, etc.* ac illud Matth. ult. *Euntes baptizate.* Præterquam quod major sit baptismi necessitas, quam pœnitentiæ sacramenti, ut notat S. Thomas dist. 17. q. 3. a. 3. quæstiunc. 1. ad 2. neque in baptismi administratione servetur ratio iudicii, quam remittendi et retinendi potestas in pœnitentiæ sacramento exercet.

*Inst. 1.* Olim defectu presbyteri sacramentalem absolutionem impertierunt diaconi: nam S. Cyprianus epist. 12. ad clerum de lapsis et alibi scribit, lapsos in idololatriam, si libellos Martyrum exhibere possint, presbyteris absentibus, apud diaconum exomologesin facere posse, ut manuum ejus impositione ad Dominum cum pace veniant; ergo.

*R. N. Ant.* S. Doctor loquitur solum de exomologesi, qua morituri tales diacono suum lapsum in idololatriam, et sua vota reconciliationis aperiant, ut ab eo reconciliari, et S. Eucharistiam in viaticum percipere pos-